




DEO OPTIMO, MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

H.J. n. 64.

(10)

QUÆSTIO MEDICA

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ
Novembris 1726.

M. FRANCISCO MERY,
Doctore Medico, Præside.


An innuptis mulieribus summa vita brevior?

I.



ITAM cuius faciliùs, quàm vitæ studium abstuleris. Quædam rerum omnium, nulla vitæ fatietas. Sed si negare nemo possit hominem ita esse à naturâ comparatum, ut totus in sui conservatione versetur, non fallax pariter demonstrabit experientia, nihil fuisse unquam ad beatè diùque vivendum præstantius, quàm dociles monstratis à naturâ vivendi legibus animos præbere. Sagax semper est natura, diligensque sui conservatrix. Hanc ducem si sequare, ab-

*Cette These fut sup-
primée par ordre de la
Cour et ne fut point
soutenue.*



errabis nunquam. Qui somniantis sæpè ingenii regitur arbitrio, naturæque monitis morem gerere recusat, hic per salebras & scopulos dat se præcipitem, morborum fit præda, vitam inter dolores & luctus trahit miserrimam, fatoque tandem occumbit immaturo. Ut enim à naturâ emanat stupenda hæc atque mirabilis inter se fluidorum solidorumque corporis consensio, valetudinis integræ origo & parens, sic ejusdem stat viribus atque conservatur. Hac sublata, quid est vivere, nisi certum brevemque interitum operiri? Quæcumque ergò sunt in rerum naturâ, naturæ pareant. Hæc si semel fundamenta evertere audeas, omnia ruere in pejus, retroque sublapfa referri necessum.

II.

QUÆ gignuntur è terrâ, statutis quibusdam temporibus conferi, coalescere, emittere folia, crescere, edere fructus, semina effundere natura jubet; nec ea quidem ubique terrarum: suus cuilibet est locus, sedesque non mutanda. Gaudent convallibus quædam, quædam in collibus feliciter enascuntur. Conferendi modum invertere si volueris, arte maturare messem, fruges aliò transponere, inducere sterilitatem; non-ne aut arescent subito, aut ingentam primò brevi exuent virtutem? Aspice belluas: modò pestifera secernunt à salutaribus, modò ad ea quæ sibi convenientia sunt, obtinenda impelluntur. Famem sitimque non modò graviter ferunt, sed nisi expleantur protinùs, exhaustæ viribus, macie confectæ pereunt. Quanto eorum periculo cohibetur ardor ille suscipiendæ prolis innatus, quo variis anni tempestatibus raptæ, furentes vagantur! Sæpè aviculas, dum caveis tenentur inclusæ, si maris copia dulcis arceatur, venereâ tabe extinguì videas. In silvis naturæ suæ permissæ versentur; quanto se opere tutantur, delitescunt in cubilibus, soliusque naturæ instinctu, optimæ scilicet omnium Medicæ, morbis & vulneribus medentur! Implicentur laqueis, has enecat moeror; adeò lethale ipsis est atque pestiferum naturæ motibus servire prohiberi. Eandem profectò in homine, sive vigilet, sive indulgeat somno, liquores ebibat, capessat cibos, aut qui corpori in posterum incommodo esse possent expellat humores, eandem, inquam, naturæ legibus obsequendi necessitatem animadvertere facillimum; ita ut nihil excogitari possit, in quo naturæ intelligentis sui que ipsius custodis non appareat ratio, quam non secutus, felicem diurnamque frustra sperabis ætatem.

III.

QUANTUM verò à naturâ feminae recedant, quæ nec dulces thalamos, nec Veneris norunt præmia, innuit satis commicendorum corporum mira cupido, quæ in omni hominum ge-

nere, in feminis præsertim assurgit vehementior. Quid aliud significat universa earum forma, in cujus gratiam tam mirabili artificio muliebri corpus fabricata est natura? Adsit florenti ætate, plenis jam nubilis annis virgo: totius habitum corporis inspice, hanc oculorum tam clarè nitentium petulantiam, hunc vividi coloris nitorem, hanc genarum atque oris purpuram, hos in pectore teretes globulos tam æquabili motu oscillantes, cætera denique novis undequaque perfusa gratis veneribusque delibuta: tot tamque grata naturæ prudentis expende munera; & tunc à quolibet sciscitare quid ista sibi velint; respondebit, si sanæ mentis, quod res est, ut nubat. Nec hujus virginis, non secus ac marmoræ cujusdam statuæ forma tantum consideranda venit, juvat, ut Medicos decet, quæ interius in eâ geruntur, admotâ veluti face rimari curiosius. Ad quid istæ menstruæ sanguinis reciprocationes, & humorum undique exundantium perennis in uterum influxus, nisi ut ex his conformetur foetus & alatur? Ad quid illi micantium papillarum globuli, nisi ad lactandos fovendosque infantes? Hæc à naturâ instituta tam sapienter, tacitâ, ut ita dicam, lege eidem nuptias indicere videntur. In hocce munus principiorum ab authore naturæ muliebri corpus conditum fuisse constat.

IV.

NUPTIAS præscribendo universi generis humani conservationi consultum tantummodo non voluit natura; suavi hoc jugo mulierum imprimis incolumitati prospexit vitæque longiori. Maximam in muliebri corpore humorum patet luxuriare colluviem. His expurgandis uterum in proclivi natura constituit, per quem certis temporibus foras eliminarentur. At cum ex intumescente in propriis receptaculis semine, aut ex nimia crassiorum ejusmodi succorum illuvie & viarum angustis sanguinis menstrui vacuatio præpeditur: dum per sinuosos vasorum meatus ad uterum labitur effluxurus, compresso motu brevi corrumpitur: mox sursum refluit, atque in varias corporis partes pestiferum effundit virus: tunc gemens puella pallore perfunditur, repentinis animi deliquiis deficit, fastidit cibos, rerum noxiarum effrænata cupiditate vexatur, arescit siti importuna, lenta febris ac moesto languore conficitur, anhelat assiduâ cordis palpitatione, ægrè animam ducit, exanimataque frequenter hystericis suffocationibus, inter vitam & mortem, umbratilem dolores inter & miseras agit vitam. Quid infortunatæ huicce mulieri melius precemur, nisi ut ejus citò parentur nuptiæ, eique vir quærat, qui non jucundam minùs quàm necessariam tot malis adhibere noverit medicinam, animamque revocet fugientem.

QUÆCUMQUE ergò sibi consultum voluerit, ubi hâc vehementiori tempestate correpta cymbam auferri sentiet, aurâ potius secundâ naviget, quam adversus æstum Maris cursum dirigat: Huic cedere paululum satius est, quàm adversante ac repugnante naturâ non sine magno vitæ periculo reluctari. Incassum contrâ nititur ratio: non tanti est ejus authoritas ut, instar Neptuni, dicto tumida placet æquora. Quantumvis sibi corporis principatum vindicet, omnes tamen hujus imperii partes ipsius nutu non reguntur. Suis corpus, hoc est, naturæ uti legibus, invita pati cogitur; & quemadmodum quotidie nutriri, crescere, generare videt injussu suo, ita nec ejus virtutis est innata hæc vincere ad venerem incitamenta. Quasdam tamen pudor tenet, quasdam deterret metus, prohibet necessitas quasdam, ne quod tantoperè natura postulat atque expetit, eidem indulgeant, & cum irruentem in se malorum turbam sentiunt, Medicum adeant, ac vulneri fomentum parent. Maneant innuptæ: sed proh dolor! Omni forsitan ope destituentur, & nisi eas æquus Jupiter amaverit, brevi consenescere, & ante diem suum cadere necesse est.

Ergò Innuptis Mulieribus summa vitæ brevior.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Joannes Bessé, Doctaria Hispaniarum Regina à Consiliis, & Medicus Primarius.

M. Joannes-Baptista-Thomas Martinenq.

M. Claudius Burlet, Regia Scientiarum Academiae Socius, & Hispaniarum Regis olim Medicus.

M. Antonius de Jus-sieu, Regia Scientiarum Academiae Socius, & Botanicæ in Horto Regio Parisiensi Professor.

M. Franciscus Pouffe.

M. Alexander-Petrus Mattot, Rei Herbariæ Professor.

M. Joannes-Baptista Silva, Serenissimi Ducis Borbonii Medicus Ordinarius.

M. Thomas Bertrand.

M. Petrus - Joannes Burette, Professor Regius, & è Regiâ Numismatum Academia.

Proponebat Parisiis, **DESIDERIUS - CLAUDIUS FREMONT**, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H.

M. DCC. XXVI. à sextâ ad meridiem.

Typis PH. NIC. LOTTIN, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi, viâ San-Jacobæ, ad insigne Veritatis.